

R. P. Iosephus Averagesch (1902-1949)

(Prov. Germ. Inf.)

R. P. Iosephus Averagesch (1902-1949)

(Prov. Germ. Inf.)

Hic confrater est unus tot martyrum nostrae aetatis, quodam vero sensu « interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant », quorum animas S. Ioannes vidit (Apoc. 6,9) sub altare caeleste. « Et datae sunt illis singulae stolae albae; et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi » (v. 11).

Cum notissimo Cardinali von Galen P. Averagesch communia habebat, non quidem natalium nobilitatem et Sacrae Purpurae splendorem et famam universalem, sed patriam, altam staturam, accentum westfalianum,

animi invictam fortitudinem fideique constantiam, immo rebus adversis propter hanc fidem perpessus eum longe superavit.

Natus in sinu familiae apprime christianae in vico Hörstel dioecesis Monasteriensis (*Münster*) kal. Apr. 1902, fer. III post Pascha, Iosephus noster, studiis gymnasialibus in saeculo absolutis, Congregationi nostrae nomen dare constituit, et festo Assumptionis B.M.V. Anni Sacri 1925 Iesu Christo per professionem religiosam se consecravit. Presbyteratus ordinem recepit Dominica in Albis 27 Apr. 1930.

Post brevem in iuvenatu lectoratum destinatur missionibus habendis. At prima fer. V mensis, 6 Febr. 1941, a quodam officiali secretae securitatis publicae administrationis, vulgo *Gestapo*, nomine Göring (at non erat famosus Feldmarschall Hermann Göring!) e nostro collegio Heiligenstadt ad curiam civitatis abducitur ibique interrogatur. Exstant de hac re eius notulae autographae, unde haec pauca excerpimus:

— Scisne locum Bischofferode? — Ita ¹. — Habesne huius loci accuratiorē cognitionem? — Non ita. — Mentiris! — Ius habes me interrogandi, non autem me contumeliis afficiendi. — Die 25 Ian. 1941, post h. 7 vespertinam, femina K. in B. apud te confessionem peregit. Dic mihi, quae tibi illa mulier dixerit et quae tu mulieri. — In codice civili nostro BGB sigillum confessionis agnoscitur. Ius talia interrogandi non habes, et ut officialis Gestapo hoc scire deberes. Ego renuo respondere. — Iam te constringam ad respondendum. Libertate te privabo. — Id facere quidem potes, at numquam violabo meum secretum professionale. — Coram Statu Nationalsocialista secretum professionale non existit ².

Cum, interrogatorio finito, acta (*Protokoll*) Patri A. subscribenda proponerentur, vidit duobus locis ea fuisse essentialiter adulterata, quapropter suam subscriptionem circumdedit debitis declarationibus.

Fer. VI 7 Febr. automobili in Erfurt ducitur a dicto Göring, qui in itinere nova quaerit, sed nulla responsione dignus iudicatur. Post duas fere hebdomades in carcere transactas denuo obviam sistitur actorum instructori G., qui monstrat anteriorem scriptionem a reo subscriptam, sed absque illis declarationibus, et a stupefacto Patre Av. quaerere audet: Putasne nobis deesse media acta « emendandi »?

P. Av. mansit in carcere Erfurtensi usque ad d. 19 Iulii, ergo ad vigiliam festi SS. Redemptoris. Tunc inde mittitur in famigeratum KZ (campum concentrationis) Buchenwald, ubi laboriosissimam vitam degere cogitur. Iam post aliquot dies sub pedibus non habebat ullam pellis sanam partem et in pede dextro phlegmones. Aegrotus 17 Sept., festo Impres-

¹ P. Aversch ibi praecedenti mense Ianuario vices parochi aegrotantis gesserat.

² Alia legi possunt in periodico *Der Volksmissionar*, 20 (1951), 21.

sionis SS. Stigmatum S. Francisci, mittitur in Dachau, quo solum post biduum pervenit. Nota est « magna tribulatio » illius KZ.

A mense Augusto 1942 ad finem Augusti 1943 confrater medicis fidei et humanitatis expertibus inservit ad studia morbi palustris *malaria*, ac verisimiliter ibi iam occubisset, nisi clam sibi procurare potuisset medicinalia, velut *atebrin* et *plasmochinin*. Tandem fer. IV Hebdomadis Sanctae a. 1945 cum aliis numerosis sacerdotibus libertati restituitur.

Legentibus nota est plus minusve condicio Germaniae devictae illo tempore. P. Av. receptus est per breve tempus in quoddam orphanotrophium Frisingense; postea fuit vicarius cooperator in vico Bavariae Tondorf prope Landshut. Tandem Augusto mense 1948 ei redire licuit ad confratres Provinciae in Rheine. Exiit etiamtum ad unam alteramve missionem; verum eius vires erant fractae, licet esset constitutionis fortis, et opinato citius coactus est nosocomium patrium Hörstel petere. Ibi festo Matris de P. S. 18 Jun. 1949, in praesentia parentum et unius confratris e communitate vicina Rheine, Viaticum pie recepit et postridie in pace Christi quievit.

Pro eo quod laboravit anima eius videbit et saturabitur. Haec verba Prophetiae (Is. 13,11) etiam huic Confessori fidei applicari posse videntur. Funus Patris Av. evasit « gloriosum ». Propter festum S. Ioannis Baptistae adhibitus est color albus, color victoriae. Ecclesia, in qua olim baptizatus erat, ostendebat ornatum festivum. Cantata est Missa polyphonica. Intra Missarum sollemnia A.R.P. Ioannes Kugel, Rector Trevirensis, in suo sermone defunctum confratrem absque adulatione comparare potuit cum glorioso Praecursore Domini, cum ipsi similis fuisset ut praedicator poenitentiae, vindex iustitiae coram magistratu iniquo, testis (martyr) fidei usque ad mortem. Pariter subsequens sepultura induit sollemnitatem insolitam, interveniente universo populo et circ. 20 sacerdotibus. *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (Rom. 8, 17).
